sese includendo, vitam tuetur, sed unico saltu, omnes insidias, et mille mortis discrimina intrepidus evadit. quid enim velocius pulice? certe leporem illum vocare nemo prohibebit, est enim lepus quasi levipes, si Varroni credimus; at quanta pedum levitate imò et celeritate non pollet? nam posterioribus pedibus, utpote leporum instar, prolixioribus, reductis in poplites, totoque corpore incumbens, more summis digitis obluctatus, prô superi! quam fe-lix, quam sublimis prorumpit in aëra, quam festinus sursum, deorsum, ad dexteram, ad sinistram, in gyrum denique salit, re-silit, atque in omnem partem et artem sese inflectit? multa tribuuntur damis, multa etiam capris, quod ingentes sim-saltus faciant: at non minores tribui debent pulici, ~~non~~ pares enim ~~minores~~ siquidem exigui corporis ratio habeatur, facere [cedere] depre-henditur. Deinde saltârit olim Hercules ut terrarum orbi miraculum fuerit, cucurrerit etiam stupendos magis quam imitandos saltus Pyrrhi cursor; attamen etiam pulicis saltus mortales mirantur, tam celeres quippe sunt, ut [illegible] oculos habeat ille necesse sit, qui visu eos assequi velit, unde etiam hac nimiâ velocitate ipsum quod mirêris eludit ac fallit hominem, qui tamen omnia superare animalia suâ arte callet, nec ullum est, quod eius machinationes et techras effugiat. Hinc tanta est audacia, ut reges, reginas, principes, im-peratores atque dynastas contemnat, qui illud magnâ curâ mul-toque ministrorum turbâ, frustra iubent eliminari, frustra, inquam, et cum maximo suo malo, quando ille bellissime egregieque